

DISPV TATIO IN AVGV RALIS
 PATHOLOGICO-MEDICA
 SISTENS
 QVAESTIONEM VENTILATAM
 CVR

DIERV M CRITICORVM

IN MORBIS HOC NOSTRO TEMPORE OBSERVATORVM

NON AEQVE AC OLIM SIT SERIES ET RATIO,

CERTO DEDVCTA TENORE?

QVAM

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV

PRAESIDE

CAROLO AVGVSTO DE BERGEN

MAGNIFICO ACADEMIAE h. t. RECTORE

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDINARIO

EIVSD. FAC. DECANO ET SENIORE

ACADEMIARVM REGIAE SOCIETATIS BEROLINENSIS

ET NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO

HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN

IN

AVDITORIO MAJORI

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS CAPESSENDIS

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS SEIBT Goldb. Siles.

DIE XX. DEC. MDCC LVIII.

FRANCOFVRTI ad VIADRV M
 TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEXII.

BIENVENUE A LA FACULTE
DE MEDECINE
LE 15 OCTOBRE 1878
M. LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS

LE DOCTEUR
GUY DE MOULIENS



V I R O
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
CAROLO WILHELMO SACHS

MED. DOCT. ET ASSESSORI COLLEGII REGII

MEDICI WRATISLAVIENSIS

ACADEMIAE CAESARAEAE NATVRAE

CVRIOSORVM SODALI

MAECENATI AC FAVTORI SVO

OMNI OBSERVANTIAE ET PIETATIS CVLTV AETATEM COLENDG

IN DEBITAE GRATITVDINIS ET FVTVRAE

FIDVCIAE TESSERAM

DISSERTATIONEM HANC SVAM INAVGVRALEM

D. D. D.

CAROLVS FRIDERICVS SEIBT.



V I D E O
LECTURAS EXPERIMENTALES
D O M I N O
CAROLO WILHELMO SACHS
MED. DOCT. ET ASSessor COLLEGIJ SECH
MEDICI WRATISLAVENSIS
ACADEMIAE CAESARIS NATURAE
CIVIS BOHEMIAE
MAGISTRATI AC TANTON SVO
SING. ORNATU ET PRIVILEGIO
H. DEPT. GRADUUS ET TITULUS
HONOR. SVO
D I S S E R T A T I O N E M H A N C W A R I I A V O T A L I I M
D. O. M.
CAROLVS FRIDERICVS SEIBT.





Q. D. B. V.

§. I.



Quandoquidem dierum criticorum notitia varias involvit notiones de morborum natura et constitutione, crisi- bus, aliisque circumstantiis; operæ pretium esse videtur, quaedam generaliora ad intellectum horum facientia præmittere, ut postea tanto clarius thema nostrum prosequi atque illustrare possimus.

§. II.

In limine autem necessarium esse judicamus explorare morbi naturam, et in quo proprie morbus
A
confi-

consistat; Per *morbum* itaque *eam corporis nostri* viventis intelligimus conditionem, qua quaedam vel plures eius partes, functionibus, quibus exercendis, vi fabricae suae et connexionis destinantur, vel in totum, vel in tantum, sunt privatae.

§. III.

Supponit ergo praesentia cujusvis morbi *laesas functiones* (II.). Functiones autem corporis viventis adeo multiplices, et vix enumerabiles, omnes ac singulae, ad triplicem finem conspirant, vel ad vitam immediate conservandam, vel ad motus voluntarios et sensus perpetuandos, vel ad se et excretionem continuandas, quorum intuitu tres potissimum exsurgunt functiones universales, *vitalis*, pulsu et respiratione, *animalis*, sensibus et motu voluntario, *naturalis*, se et excretionem jugiter provehendae.

§. IV.

Quaevs harum functionum universalium (III.) sub se comprehendit complexum multarum functionum particularium, suis propriis membris, organis, visceribus et humoribus exercendarum, sed uni ex universalibus functionibus famulantium; unde liquet, quemvis morbum, dum vita superstes, adferre laesionem paucarum vel plurium functionum particularium.

ticularium, quae modo uni, modo pluribus functionibus universalibus inserviunt. Totalis enim laesio destructionem machinae, ipsamque mortem post se trahit.

§. V.

Functionum laesio in morbis dependet a corporis nostri laesis fluidis et solidis. In quibusdam utrumque obtinet, in plurimis alterutrum locum habet, hinc nata est divisio in morbos *chronicos* et *acutos*; quorum illi, diuturnioris morae, labem in solidis, vel utrisque, hi brevis circuitus, labem in solis fluidis praesupponunt. Et sicuti ex statu naturali hominis notum est, corpus humanum vivum componi ex solidis et fluidis partibus, per justam et reciprocam actionem, sanitatem, ut effectum producentibus, ita non minus sequitur morbo aliquo praesente, in praeternaturali harum partium dispositione, ejus naturam sitam esse.

§. VI.

Morbi chronici definitum durationis tempus haud agnoscunt, sed si labes hic latet in parte non admodum nobili, et ad vitam necessaria, in solidos saepe annos perpetuantur.

§. VII.

Morbi acuti et brevis periodi, ubi secundum
A 2 paren-

parentis Medicorum observata, labes haeret in humoribus, si peccans materia cito destruit fluida circulantia, vel sub ipso ingressu morbi, vel intra quartum diem necant, et vocantur *acutissimi* et simul *maligni*. *Peracuti* ad septimum saepe diem durant, *acuti* nono, decimo quarto, vel vigesimo primo die solvuntur. Horum omnium essentielle fere est, ut febre plus minus intensa sint stipati.

§. VIII.

In omni morbo, nequidem chronicis omnino exceptis observant pathologi, *symptomatum* nomine certas functionum, in statu sanitatis consuetarum, vel *exacerbationes*, vel *praeternaturales remissiones*, non sine sensu ægritudinis tolerandas, quarum illae, quae fiunt cum exacerbatione, materiae morbificae expulsionem in aegri salutem moliuntur, hae vero aequae tanquam effectus praeternaturales et morbose considerandae sunt: utraeque fundantur in reciproca actione solidorum in fluida, et fluidorum in solida, ob praesentiam materiae morbificae, et statum aequilibrum turbati, praeter naturam mutata. Atque hoc est, quod per laesionem functionum (III.) in morbis intelligimus.

§. IX.

Materia morbifica, quae morbos acutos causatur,

fatur, fluida corporis circulantia, sanguinem et humores aggreditur, eorumque crasin pessundat, et ita plerumque sedem figit, ut vel sensim et successive per sinistram rerum non naturalium usum intra succos colligatur, vel subito per admissum contagium inferatur, atque acutos reddat malignos. Ejusmodi autem contagiosa materia, incomprehensibilis tenuitatis, summae activitatis, inperscrutabilis naturae est, et illud τὸ θεῖον HIPPOCRATIS in morbis constituit.

§. X.

Subitanea quippe materiae morbificae in morbis acutis genesis non supponit rei cujusdam extraneae, intra humores successivam collectionem, quam potius materiae cujusdam tenuissimae, aura, halitu, aere, vapore communicatae, quoad molem parcissimae, activitatem summam, humorum crasin et naturalem compositionem repente destruentis, quod ipsum hominum sanissimorum subitaneo contagio in periculosissimos morbos conjectorum exempla comprobant.

§. XI.

Cum materia morbifica (IX.), quae successive generatur, in morbis acutis varie comparatum est, intuitu suae indolis et virium naturae reagentium.

§. XII.

Materia haec morbifica (XI.) in principio morbi cruda, (an propter figuram molecularum, an aliis de causis? non disquirimus,) mixtioni humorum maxime est adversa, hinc naturae motus eo collimant, ut moleculae hujus materiae magis assimilentur moleculis sanguinis, aut si tale quid fieri nequit, ad minimum ita mutantur et subigantur, ut postmodum per emunctoria corporis evacuari possint. Quamdiu ergo sub initio et incremento februm et morborum acutorum materia morbifica intime cum sanguine cohæret, *status cruditatis*, qui *αμότης* audit, adesse dicitur, mora autem si digeritur et coquitur, per iteratos circuitus sanguinis, *coctio- nis status* imminet. Ergo labor iste naturae crudam immutandi materiam vocatur *coctio* *πρασμός*. Cocta autem materia natura omnes vires intendit hanc ipsam per varia organa secretoria et excretoria secernere, atque excernere, vocatur autem talis excretio, cujus dies *κρίσιμος*, dies decretorii, vocantur, *excretio critica* sive *crisis*, sub qua morbi symptomata saepe cumulantur, namque tum lucta est inter naturam et materiam morbificam maxima. Quod si ergo natura victrix est, sanitas restituitur, sin minus, natura succumbit et æger moritur. Vires ergo naturae pugnant contra vires materiae morbificae, sive hae vires sint positivae, sive a vi inertiae

inertiae dependeant. Aliquando etiam incompleta est lucta, morbo non penitus dissipato, sed iterum recrudescente, aut alio subsequente.

§. XIII.

Quod si ergo morbus et febris acuta sanguinis crasin praeternaturaliter invertit, vires tamen naturae sufficientes supersunt hanc ipsam materiam corrigendi, et humorum indoli naturali assimilandi, morbus ipse successive et insensibiliter *κατα πάρο,* sine sensibili evacuatione transit et superatur, nulla subsequente morbi crisi visibili (XII), tuncque dicitur materia noxia resolvi modo insensibili per vires naturae, quod veteres *λυσις* vocabant. Aliquando materia morbifica non patitur sui resolutionem, neque coctionem (XII), sed sub statu cruditatis una cum prorumpente sanguine per haemorrhagias ejicitur, quae excretio in acutis nulla malignitate stipatis saepe salutaris, in malignis autem saepissime ambigua ne dicam funesta est. Tandem vero, si materia morbifica magis intra humores abundat, aut ex suo genio corrupta est, quo minus inquilinis humoribus per vires vitae assimilari quaeat, natura longiori mora opus habet ad praeparationem et ejectionem hujus materiae, quam haud in sanguinem et inquilinos humores vertit, sed ex statu cruditatis in statum coctionis commutat, quo obtento postea organis secretoriis et excretoriis per varias sensibiles excretiones,

tiones, urinam, alvum, vomitum, sudores &c. evacuat, quae morbi est *excretio critica* s. *crisis*, non tamen reticendum in casu materiae admodum corruptae et noxiae naturam frustra tentata coctione crisi funesta succumbere. Tempus in quod tales excretiones criticae incidunt *dies critici* vocantur, qui ergo ingenere sunt tales morborum dies, ubi subitanea morbi contingit mutatio per excretiones sensibiles vel in salutem, vel perniciem aegri. Atque hinc non sine ratione dixerunt veteres *parvos tantum morbos solvi, magnos iudicari*.

§. XIV.

Aliquando morbi natura talis est, ut licet aliqua coctio materiae morbificae (XII.) fiat, ejus tamen per consueta emunctoria excretio non subsequatur, sed vires naturae materiam ex massa circulantium humorum ejicientes hanc deponant ad loca ignobiliora, sicque succedant *metastases* et *abscessus*, qui merito ad imperfectas crises numerantur, eo, quod gravibus saepe symptomatis sint complicati, atque ex his abscessibus saepe febres lentae oriuntur; qui aegrum ad lentum ducunt interitum. Quandoque etiam fiunt nervosae metastases, quae non decubitu materiae, sed consensu ex imo ventre afficiunt nervos et encephalum, unde spasmos multiplices, laesam memoriam, aliasque animi facultatum laesiones, ut sequeles, observamus, tamen
omnia

omnia haec molimina naturae in futuros abscessus conspirare compertum est.

§. XV.

Tandem, quod febres malignas concernit, quae tam sporadice, quam epidemice grassantur, hae nunquam sui similes sunt, sed pro temporum, tempestatum, & miasmatis, quod in sinu vovent, diversitate, alia atque alia habent symptomata, durationem, exitum, sequelas. Quod quotannes variolae, morbilli, petechiae, imo ipsa pestis docent. Qui morbi nunquam sub eodem schemate et larva, si de diverso tempore sermo est, incedunt.

§. XVI.

Ex his omnibus (XIV-XV), sequentia struimus coniectaria 1. diversas morborum acutorum stationes denotare ipsorum initium, incrementum, statum, seu maturitatem & declinationem, 2. minus vel magis promotam coctionem praeparationem materiae morbificae indicare, 3. morborum quorumlibet mutationes omnes à morbi & naturae viribus dependere.

§. XVII.

Cunctae hae acutorum morborum stationes impulerunt veteres, ut inimitabili solertia attenderint ad cujusvis dierum morbi mutationes, & quosvis fere
 B dies



dies peculiari nomine insigniverint, imo scrupulositas veterum in observandis morbi quibusvis diebus tanta est, ut vix superstitionem a se amoliri posse videantur. Vix enim febris septem vel quatuordecim dierum occurrit, cujus una quaevis dies non habeat proprium suum nomen, ad distinguenda invasionis, sive principii, incrementi, et status momenta. Dies intercedentes III. V. IX. XV. XIX. vocant *παρομπιπτοντες*, medium quasi tenentes inter dies criticos & indicatorios. Praeterea Vitum VIII, X, XII, XVIII, horum morborum acutorum vocant vacuos, aut sinistras crises adferentes, sub quibus medici esset officium aegro remedia praebere. Decimum quartum, undecimum, decimum septimum dixerunt *τεωπέτες*, sive dies indicatorios, qui ex certis coctionis signis praenunciant conditionem materiae criticae futurae. Sic HIPPOCRATES (a) diem quartum facit indicem septimi, decimum, decimi quarti, decimum quartum, vigesimi primi. Pro diebus criticis per quos intelligunt spatium viginti quatuor horarum, incipiendo a media nocte diei praecedentis HIPPOCRATES (b) assignavit diem septimum, decimum quartum, vigesimum primum, ita ut omnes criticos dies fecerit impares, quam viri summi doctrinam ejus asseclae, & imprimis GALENVS confirmarunt.

§. XVIII.

(a) *Aphorif. XXIV. Sect. II.*

(b) *Apor. XIII. Sect. II.*

§. XVIII.

Licet nunc ex scriptis divini senis abunde con-
 tet, ipsum in annosa sua praxi hos diversos dies in-
 dicatorios, vacuos, decretorios, frequenter observa-
 se, atque ad phaenomena morborum retulisse, quae
 ut plurimum fieri solent, nihilominus aliis in locis
 candide fatetur, hanc suam observationem non esse
 omni exceptione majorem, quin non aliquando con-
 trarium eveniat. Namque *aphorismo decimo nono*
sectione secunda fatetur, non omnino certas esse acu-
 torum praedictiones, neque mortis, neque salutis,
 & *epidemiorum libro tertio sectione tertia* exem-
 plum virginis Larissae adfert, quae sexto morbi
 die per crisin salutarem evasit. Alibi (c) sponte
 largitur, crises perfectas ut plurimum tam frequentes
 esse in junioribus, quam raras in senibus. Indidem
 (d) referimus, ipsum febres observasse, quae crisi ca-
 rent, de quibus notat temporis quidem longitudi-
 nem inferre, minime vero periculosas esse; & de
 morbis, qui praecoci judicatione terminantur scri-
 bit (e), quando cruda expelluntur recidiva: sin mi-
 nus *duplicitas* succedunt. Haec omnia confirmat GA-
 LENVUS (f) strenuus dierum criticorum defensor,
 B 2 ali-

(c) Praenotionibus coacis Cap. III.

(d) Textu 76. Articul. 74.

(e) Lib. II. Epidem. II. Cap. 20.

(f) De crisis libro II. Cap. 29.

aliquando nullam crisin status tempore accidere,
aliquando crisin per duos vel plures dies extendi.

§. XIX.

Atque hac ingenua confessione satis sese libera-
vit à quorundam recentiorum imputatione, qui pu-
tant HIPPOCRATEM placita PYTHAGORAE se-
cutum esse, & non alia de causâ dies criticos fecisse im-
pares, quam quod certis numeris occultam & abscon-
ditam tribueret virtutem, vi cujus crises morborum
in dies impares incidere deberent. Quam longe ve-
ro remotus sit ab hac culpa, ubique ejus scripta testan-
tur, quae nihil fere hypothesei & ratiocinio, omnia
vero experientiae tribuunt.

§. XX.

Haec magni HIPPOCRATIS de crisis & die-
bus criticis theoria (XVII) non diu stetit inconcussa,
quin elapsis aliquot seculis suos invenerit oppugnato-
res, qui, an ex studio reformandi medicinam, an ex pru-
ritu contradicendi, an propter mutatam morborum
naturam hoc fecerint, hic non disquirimus, omnia
alia invenientes, tam ipsas crises, quam dierum cri-
ticorum constantiam, impugnarunt. Sic GALE-
NVS de HEROPHILO (g) & XENOPHON-
TE (h) allegat, ipsos praesagia morborum & per
consequens dies criticos neglexisse. Praeprimis au-
tem

(g) *Commentar. I. in HIPPOCRATIS prognostica pag. 190.*

(h) *GALEN. de diebus decretoriis Libr. II. art. 7.*

tem hoc fecit ASCLEPIADES (i) qui novam quasi condidit medicinam, atque HIPPOCRATIS praecepta flocci pendet.

§. XXI.

Recentiores scriptores medicos in materia de crisi & diebus criticis ad duas refero classes, quidam enim HEROPHILI atque ASCLEPIADIS vestigia legentes omnem HIPPOCRATIS de crisi- bus & diebus criticis doctrinam negant atque per- negant, quidam vero mitius sentiunt, atque crises ac dies criticos hodie aequè observari, non autem ea- dem acribeia ac olim contendunt. Ad priores refero HELMONTIVM patrem, qui (l) non veretur sequentem sententiam pronunciare: *Nota- vi, quod nusquam sit crisis ubi medicus artis suae gnarus morbum ante crisis expectationem sustulit.* Et alibi (m): *Verus ergo medicus ante crisis mor- bum superare debet, sin secus, medicae artis au- xilionihil penitus adscribi poterit.* Quam sententiam perversae hujus viri morborum theoriae merito ad- scribimus. Post HELMONTIVM LAVREN- TIVS BELLINI (n) & PITCAERN(o) pa- riter

B 3

(i) CELS. Medic. III. Lib. 4. p. 121. & GALEN. de diebus decretor. Libr. II. Cap. 7. & COELIVS AVRELIANVS acur. morb. I. 14.

(l) Libr. de tempore pag. 509. §. 53.

(m) Libr. de febr. cap. II. §. 3.

(n) de missione sanguinis XI. 248.

(o) Elementa medic. I. Libr. Cap. 7. §. 3-4.

riter dierum criticorum doctrinam ab HIPPOCRATE acceptam rejecerunt. Quorsum etiam pertinet WALDSCHMIDIVS (p), cujus illa sunt quae sequuntur: *notandum venit, nos non admodum curiosos esse debere in rimandis causis criticarum mutationum, cum in nostris regionibus, & hoc nostro tempore tales crises non amplius fiant, hinc etiam praedictiones nostrae in morbis acutis non adeo certae sunt nec indubitatae fidei.*

§. XXII.

Secundae classis scriptores magis ex equo HIPPOCRATIS meritis & auctoritati tribuentes, longe abest, ut fidem veteribus medicis denegent, ut potius agnoscant crislum & dierum (XVIII.) criticorum conditiones ita se habuisse, ut in ipsorum scriptis relatum legimus, nihilominus cum hodie perfectae crises atque dies critici raro observentur, multas hujus differentiae assignant causas. HOLLERIVS (q) vult in frigidis & borealibus regionibus rarissime expectari criticas exquisitas evacuationes, cui propemodum assentit BAGLIVVS (r), qui causam perfectarum crislum olim in Graecia observatarum, rejicit in aeris valde elastici puritatem & tenuitatem, cum noster aqueis & crassis impuritatibus

(p) *Fundament. Med. pag. 113.*

(q) *in commentario ad aphorif. HIPPOCRATIS.*

(r) *Prax. med. II. pag. 234. & I. 15. pag. 153.*



tatibus foedatus sit, humores quoque corporis magis impuros reddat, ut ad debitum despumationis officium pervenire nequeant. RICHARDVS MEAD (s) differentias crifium & dierum criticorum hodiernorum ab antiquis adfcribit diverfitati climatis, & simplici medendi methodo antiquis folenni, atque ex GALENI principiis ex folis & lunae influxu caufas dierum criticorum explicat. Experientiffimus SYDENHAMVS (t) morbos pleurosque expulfione materiae morbificae folvi agnofcit, dierum criticorum numerum raro inculcans. Acutiffimus BOERHAVIVS veteres fumma reverentia veneratur, & hinc criticos dies reapfe dari in quibusdam morbis acutis largitur, uni etiam alterique morbo adfignat, de cetero in determinandis morbis dierum criticorum potentia folvendis parcus.

§. XXIII.

Hifce de crifibus & diebus criticis praemiffis, jam tempus eft, ut nos ad folutionem quaeflionis, in rubro fpeciminis noftri praemiffae accingamus, fcilicet rationibus atque experientia fuffulti paucis declaramus, an re vera idem crifium & dierum criticorum rigor atque *ἀνριβεία* obfervetur, ac olim HIPPOCRATIS tempore, & quaenam, fi fecus
res

(s) De imperio folis ac lunae Londini 1704. 81avo. pag. 58.

(t) operum omnium pag. m. 222.

res accidit, probabiliter hujus differentiae causa sit assignanda?

§. XXIV.

Quod primum quaestionis membrum attinet, *an eadem dierum criticorum & crifium fit ratio ac olim?* non solum propriam flocci pendere oporteret experientiam, sed & omnis fides viris vera, non fucata aut ficta asserentibus deneganda esset, sed potius statuimus & ad experientiam cujusvis practici provocamus, in versa ratione propemodum se omnia nunc habere ac olim. Sicuti HIPPOCRATIS aevo morbi, perfectis crifibus atque diebus criticis terminati erant caeteris paribus frequentiores, & morbi crifibus carentes & λυσι soluti rariores, ita hoc nostro tempore nihil frequentius est in morbis acutis quam acrifias notare, aut talem morbi conditionem, ubi per λυσι, seu insensibilem mutationem terminantur, cum inter viginti aegrotantes, uno eodemque morbo decumbentes, vix unus occurrat, qui perfectas crifes juxta signatos a veteribus dies experiatur.

§. XXV.

Nihil itaque nobis videtur in praxi utilius quam istarum causarum inquisitio, quae tantam differentiam crifium & dierum criticorum inter antiqui & nostri aevi aegrotantes manifestant. Quodsi autem
corpus

corpus humanum vivum tanquam machinam compositam nobis representamus, unicam hujus differentiae assignandum esse causam non statuimus, sed uti ad perpetuam sanitatem vitae animalis plures, eaeque sociae, sibi que subordinatae concurrunt causae; sic pariter ad mutandam hanc morborum indolem his nostris temporibus observabilem plures sociari causas, quarum una semper efficacior est altera, confidenter asserimus.

§. XXVI.

Has causas membratim perlustraturi haud inficiamur crassum & humidiores regionum septentrionalium aerem non parum hic afferre momenti, & imprimis ad morborum longitudinem contribuere. Pariter agnoscimus climatum frigidorum alimenta spissiora cibum potumque crassiorem & substantialiorem ad eundem calligare finem, sanguinem & reliquos humores ex sua natura viscidiores reddendo, atque sic propter nativam humorum spissitudinem coctionis & despumationis negotium difficultando. Dudum enim peregrinatores ex Europa calidas regiones adeuntes observarunt se ibidem ex carniis vel leguminum esu non tam diu manere satiatos, nec sine offensa ventriculi a prandio ad coenam sine cibis subsistere posse, adeoque alimenta tenerioris ibidem indolis esse. Aeris vero & alimentorum spissitudinem non primariam hujus differentiae causam esse HIPPOCRATES (u) inculcat, qui suas de crisi- bus observationes aequè in Lybiam, quam Scythiam quadrare docet, provincias sane majori graduum latitudinis numero se junctas, quam forte omnes Europae provinciae intuitu Graeciae. Huic magni senis sententiae subscribentes nec nos aerem & cibum pro primariis judicamus hujus mutationis causas, quis enim nescit, inter omnes hominum status gentem rusticam crasso vesci victu, deberet
C itaque

(u) Praenot. coac. ἐπι καὶ ἐν Λιβίῃ &c.

itaque haec gens morbis acutis correpta, esse remotissima a spe experiendi tales salubres crises, & nihilominus videmus, quod hi homines, quia medicamentorum farragine non obruuntur, & simplicem vivendi rationem observant, omnium frequentissime hisce crisis per sudores, alvi fluxus, urinam, aliasque naturae vias sint obnoxii: Manifesto documento non crassum aerem, non vitum crassum hujus raritatis crises observandi esse causas, sed maximopere composita & climati contraria victus ratio, qua notum est homines nostri seculi luxurici & ciborum varietati nimis indulgentes, a veterum simplici vivendi more mirum quantum deflexisse. HIPPOCRATIS enim tempore victus erat simplicissimus, aqua loco potus, cerealea, legumina, herbae culinares, raro animalium carnes loco cibi. Quae vivendi simplicitas Romanorum tempore jam jam corrupta docet cur GALENVS ejusque coevi medici raras jam crises & dies criticos experti fuerint.

§. XXVII.

Quodsi porro perpendimus his nostris diebus morbos acutos & continuos plerumque cum exanthematibus colludere, quae exanthemata tanquam per se ut crises imperfectae (XV.) consideranda sunt, ejusmodi vero morbos exanthematicos HIPPOCRATIS tempore tam frequentes non fuisse, exemplo variolarum, morbillorum, rossalae, purpurae utriusque, quas penitus ignoravit, & ubi de acutis adfectionibus scribit, de crisis perfectis, circumscriptisque earundem diebus uberiorem & frequentiore experientiam adfert, stringens sane oritur argumentum, varium hocce vitandi genus nobis & nostris majoribus jam ab aliquot seculis ex consuetudine in aliam quasi naturam versum, effecisse, ut nostris temporibus crises rariores, & si quae adsunt, magis imper-

imperfectiores, contingant, ipsorumque morborum natura in genere temporis successu ob causas indicatas ab antiquo crisium & dierum criticorum rigore declinaverit, atque ex hac primaria causa crises perfectae, certisque dierum intervallis circumscriptae hodie non amplius observentur.

§. XXVIII.

Hanc ergo sententiam (XXVIII.) amplectentes nobis persuaderi non patimur, imperfectas & turbatas haece crises unice a methodo medendi arcessendas esse, quae apud veteres simplicissima hodie multiplex & composita est. Licet enim non inficiemur venaesectiones, purgationes, alexipharmacorum usum alterare quadante nus morbi decursum, non tamen hujus opprobrii reos hodierni seculi medicos pronunciamus, qui sobrie naturae succurrentes in acutorum cura, & quidem jure, magis spectatores, quam actores sunt. A veritate magis adhuc recedit PROSP. MARTIANI (v) sententia, qui crisium hodiernarum raritatem ab abusu refrigerantium medicaminum derivat.

§. XXIX.

Atque sic existimamus nos probabilem imo, plus quam probabilem causam raritatis hodiernarum *κρίσεων* & dierum criticorum assignasse, meliorem, universaliorem, & omnium applausu coronatam, qui dederit, gratum pariter nobis ac omnibus medicae artis cultoribus praestabit officium. Nos interea, ut pro tenuitate virium nostrarum proposito quaesito satisfacisse nobis blandimur, ita finem huic themati imponimus & lectoris benevolentiae nos commendamus.

(v) de morb. Lib. II. Sect. II.

CORRIGENDA: p. 7. *καταβαρχει* l. *καταβαρχει*,



Tramite deslektis veterum? Turbare diebus
Dogmata de criticis vera recepta putas?
Arguis illa vel his incongrua finibus esse?
Sed ne metu palles? Vel, mora si qua datur,
Quam primum revoca; vel certo sternere docta
Undique tela time, tela parata **TIBI**.
Ipse dies praefens criticus **TIBI** quod sit, habeto.
Sed tamen optatae criseos inde notae
Apparent. Miseros felicia signa sequantur
Te consulturos, Docte, precor, critica.
Plures sintque dies, quæis laetus carpis honores
Et plausus studii proemia digna **TVI**.

IOHANN GEORGE KVNST, Opp

Il felix iterum laribus **TE** iunge paternis.
Laturus studiis digna brabea **TVIS**.

TE iamiam exspectat fors optima, nempe Patroni,
Aegroti, Praxis, denique Nupta pia.

CAROLVS GOTTLIEB GOLTZ, Opp.

Paß Voelker sich mit Blei und Wassen,
Gelertter Freund! die Siege schaffen:
Du siegest edler durch den Geist.

Dort gilt Gewalt: hier gelten Gründe;
Drum eile! streite! überwinde

So schoen, als Dein Verdienst Dir's heisst!

Zu Aesculapens würd'gen Soehnen
Gehoerst Du, Freund! nicht blos. Dich kroenen

Noch weit mehr: Dein so schoenes Herz;
Dein Abscheu vor dem Schwarm der Toren,

Der nur zur Last der Welt geboren;

Dein Mitleid bey des Naechsten Schmerz.

Wenn, Deinen Vorsatz zu erreichen,

Du must aus meinen Armen weichen;

So denk, wie treu ich! Dich verlor.

Doch lohnst Du auch wol meine Triebe

Mit Deiner fernern Freundschafts-Liebe?

Dein edles Herz bürgt mir davor.

**Friderich Wilhelm Kranz,
L. L. C. aus Stargard in Pommern.**




01 A 6510

ULB Halle 3
002 929 198



vol 18







DISPUTATIO IN AVGVRALIS
PATHOLOGICO-MEDICA
SISTENS
QVAESTIONEM VENTILATAM
CVR

DIERV M CRITICORVM

IN MORBIS HOC NOSTRO TEMPORE OBSERVATORVM
NON AEQVE AC OLIM SIT SERIES ET RATIO,
CERTO DEDVCTA TENORE?
QVAM

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV
PRAESIDE

CAROLO AVGVSTO DE BERGEN

MAGNIFICO ACADEMIAE h. t. RECTORE

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDINARIO
EIVSD. FAC. DECANO ET SENIORE

ACADEMIARVM REGIAE SOCIETATIS BEROLINENSIS
ET NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO
HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN

IN
AVDITORIO MAJORI

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS CAPESSENDIS
PVBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS SEIBT Goldb. Siles.
DIE XX. DEC. MDCC LVIII.

FRANCOFVRTI ad VIADRVM
TYPIS SIGISM. GABRIEL. ALEXII.